

EXAMEN CENSURÆ

percussoribus innoxiiis asyla poni iussit, cur eos odio nostro dignos putabimus, qui imprudenter errant, & errorem suum, tanquam perditionis nostræ æternæ remedium, persuasum nobis volunt. Si profanos, avaros, ebriosos, invidos non pellimus, non fugamus a nobis, cur probos piosq; , nulla sua culpa errantes, præscribimus? Hoc est Barrabam dimittere, & Christum in crucem agere. Hanc labem Judæi sibi habeant. Christiani sumus, & Spiritum alium a nobis requirit Deus ac Servator noster. Quod si tamen officij vestri esse putatis, providere ne veritas detrimentum aliquod patiat, hoc agite, ut subditi vestri rationibus, beneficiis, & caritatis officiis inter se certent, si forte alius alium ad se volentem pelliciat, & sic tandem sponte sua omnes in unum ovile coëant. Faceffant a cœtibus convitia, scommata, dicteria, & quæ alendis odiis serviunt conciones Philippicæ ac Tribunitiæ. Hoc si ullis, imperate iis saltem, qui fidem a solo Dei donantis arbitrio pendere volunt, qui neminem credere posse docent, nisi quem omnipotens Dei Spiritus ex alto ad flat, qui a fidei donatione omnem receptionis nostræ operam excludunt. Cur enim illi sæviant in errantes & nulla sua culpa fidei expertes? Cur illis serviat brachium vestrum in innoxia capita & myriadas animarum doni istius incapaces? Commiseratione tangamini, & quos errare ac perire necesse est, eos fleri non deleri jubete. Miseris & afflictis ne addatis afflictionem. Hoc si facitis, tum vere tranquillitatem animo vestro & regno præstabitis securitatem: Securitas a pietate est, & mutua inter cives benevolentia in mediis diffensionibus.

AD CENSURAM CAPITIS XXV.

De Synodis seu Conciliis, eorumque modo & usu.

OMnia sunt similia. Colophon respondet præmio, & capitis ultimi censura cæteris prioribus. Cavillationum, suspicionum, detorsionum plena sunt omnia, a capite ad calcem. Rem testem demus.

Primus huius capitis cavillus est; quod Declaratio Synodis aliquando opus esse asserat idq; exemplo Apostolorum Act. xv. Gal. i.

Adde,